DE CORPORIS ABLUTIONIBUS SPECIMEN INAUGURALE QUOD PUBLICAE...

Vincenzo Allegri



DE

CORPORIS ABLUTIONIBUS

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

PUBLICAE DISQUISITIONI PRAEBET

VINCENTIUS ALLEGRI

MEDICINAE LAUREAM

IN C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

SUSCIPIENS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLI

714

OPTIMO PATRI

FILIUS

Quacumque vitae periodo auxilium pro conservanda atque tutanda valetudine morbisque praecavendis valde momentosum ablutiones sistunt. Judicii lance cutis functiones earumque sympathicum in multiplices internorum organorum operationes influxum ponderantes, absque haesitatione de prolata convincimur sententia. Ablutiones enim vero corporis munditiem sanitati ipsaeque sociali vitae admodum necessariam parant; cutaneam juxta normalem naturae ordinem perspirationem sollicitant; leves jam exortas in hacce functione perturbationes in integrum restituunt; morbis denique inflammatoriis, ante ceteras affectiones communioribus, tum ob aquae absorptionem ejusque in sanguinis massam transgressum, tum propter cutis mollitiem, fibrae relaxationem et exinde intimum ob textus inter et vitales proprietates nexum intercedentem, evolutionem praepediunt, vel formatorum jam intensitatem frangunt. Hisce ablutionum cuilibet patentibus emolumentis, alia minus cognita recordare liceat. Sagax hominum peritus, teste I. P. Frankio, observationem retulit, homines, in specie artibus applicatos, res humidas, acres, succidas tractantes, valde a concupiscentiae stimulis vexari, in quorum cohibitionem ablutiones insigne evadere remedium. Forsan ex hac quoque causa legislator Moyses tot bal-

nea totque lavationes populo suo subire jussit. Exque ea causa Turcarum legislator ternas quotidie ablutiones, non saltem commendavit, sed pro salute corporis et animae indispensabiles proclamavit. Praeterea nonne rationi consonum ea cuncta auxilia corporis purificationem praeparantia pro parte rudem etiam spiritum nobilitare? Recordatus summus Frankius ita revera opinatur, subjungens, balnei usum praecoces juventutis libidines ab intercepta acrium materierum eliminatione ob sordeum cuti insidentem sustentatas atque auctas refrenare.

Plures habentur rationes quibus ablutiones efficiuntur. Nunc manu simplici vel spongia marina vel linteamine exercentur; modo fluidorum affusione, aspersione absolvuntur; modo balneorum sive calidorum sive frigidorum ope consumantur. De hisce qua momentum hygienicum prae ceteris ad corporis munditiem et multiplices alios salutares effectus consequendos efficacissimum peragere statui.

Res est notatu digna quod balneorum generalis saluber usus tunc temporis solis Moscoviae provinciis in Europa relegetur, dum caeterae magis excultae nationes consuetudinem tantum a medici praescriptione amplectuntur. Et res eo magis conceptu difficilis evadit, quum jam ex proverbio balneum vitae, luxuriae et vitae mollitiei saltem convenire credatur. Populo Romano et Graeco balnea ad vitae necessitates principales referenda habebantur, et pro termis publicis sumptus non calculandos impenderunt. Profecto quanta eo tempore munificentia et quanta praedilectione termae erigebantur probant immensae moles quae hodiedum Romae con-

spiciuntur in ruinas delapsae termarum ab imperatoribus Romanis fundatarum. Vestimentorum mutatae species, usus lini et cannabis equidem rationem reddunt, balnea quemadmodum apud veteres minus necessaria haberi; set eorum fere absolutam oblivionem concipere haud relinquunt. Suppositio in calidis solummodo regionibus, in quibus larga efficitur cutis perspiratio, proprietatem atque corporis munditiem reiteratas ablutiones requirere admittens facile erronea cuilibet patebit. In Russiae sylvis agricola, post assumptum corporis balneum, nivem in qua circumagitur petit, et tali pacto subitis temperaturae vicissitudinibus assuetus longo aevo et fere absque medicinae auxiliis protrahitur. Et relictis veterum populorum exemplis qui, deficiente pro familiari balnei usu opportunitate, jam Homeri temporibus flumina, lacus ipsumque mare petebant, coaetanei nostri Orientales, sub frigidis quoque zonis incolae, fere quotidie balneum adhibent, in quo insigne pro corporis vigore, valetudine et longaevitate tutandis atque pluribus morbis depellendis absque multiplici pharmacorum adparatu ab Europaeis applicato auxilium praedicant. Quapropter tum ab historia tum a speciali balneorum operandi ratione, quam inferius illustrabimus, talis consuetudo promoveri juvat, et a medicis in specie toto conamine illustrari ac suggeri debet.

Verbum *balneum* pro corporis in aqua immersione a nobis tantum abripitur. Temperatura divisionem ponit, et balnea vel frigida vel calida distinguuntur. Ad frigida ea pertinent quae frigoris sensationem afferunt, viceversa calida.

8

Balneum frigidum. — Quum sanum individuum prima vice balneum frigidum intrat, frigoris sensationem temperaturae correspondentem et simul nervosam subitam impressionem, caeteris paribus, frigoris gradui atque immersionis celeritati accommodatam experitur. Nervosam comitantur impressionem tremor et anhelitus convulsivus atque confusa timoris mentalis sensatio. Verum ingratae sensationes parum durant, sed ab aliis oppositae naturae supplentur. Sensatio aquae vel deficit vel caloris potius quam frigoris symbolam refert. Attamen cum immersio diu prolongatur juxta oeconomiae statum et temperaturae gradum tempore breviori aut longiori sensus gratus subfrigidus in frigidum convertitur, extremitates rigescunt et sensim sensimque corpus totum languet atque viribus exhauritur. Talem frigoris secundam sensationem, nunquam alia caloris recipit, quandiu in aqua frigida individuum haeret; sed frigus, rigor, debilitas cum immersionis perseverantia augetur; facies et universa corporis superficies pallet, contrahitur et volumine suo imminuitur, quemadmodum ab annulorum ex digitis lapsu erui potest; pulsus parvus, debilis, lentior efficitur; oppressio praecordialis evolvitur, adest desiderium loti, evacuationis atque frigus in generalem tremorem convertitur. Si e balneo ante secundi tremoris accessus evolutionem vel ejusdem protractam continuationem individuum egreditur, tunc sub vestium induitione, vitalis reactionis renovationem agnoscit, quae magis vivax et permanens est. Pulsus plenior et fortior redditur, facies, labia et tota cutanea superficies non duntaxat calorem et priores recipiunt dimensiones,

sed ultra ordinarium statum crescunt; anuli ex digitis prius lapsi stricte adhaerent; pectoris et capitis omnis oppressio evanescit et ejus loco excitans roboris et vigoris sensatio subit.

Ab exposito balneorum frigidorum effectus in duplicem praecipue ordinem distribuuntur, quorum prior a subita immersione a medicis nervosi impulsus (urto) nomine distincta, et alius a vitali reactione constituitur. Sub immersione, una cum nervosa commotione, absque functionum damno propter energiae conservatricis rexistentiam, contingente, sanguis e capillaribus superficiei vasis ad internas majores ramificationes propellitur, et haec subita circulationis, aequilibrii mutatio propter vasorum elasticitatem sustinetur; sub reactione autem contractilis cordis et arteriarum vis capillorum vasorum collapsum exsuperat, sanguis e centro superficiem versus repellitur, atque caloris accensiones insurgunt. Talis vasorum oscillatio partim ex arte partim a natura inducta, cum apte dirigatur, sub ordinariis vitae conditionibus utilis summopere evadit. Capillaria et perspiratoria vasa cutanea, antea torpida, irrigantur, ut sic dicam, atque a novo ex interno exoriente impulsu distenduntur, talique pacto excretionum intimus apparatus movetur. Organa insuper glandularia propter eorum cum cute sympathiam functionum exercitio excitantur, atque sic tota oeconomiam fere renovatam experitur, quae renovatio ab alacritate et spiritus energia atque a gratis balneum subeuntibus sensationibus judicatur. Haec reactio aut calor restitutus criterium pro balnei frigidi salubritate sistit; et ejus utilitas eo major est quo citius

reactio post immersionem exoritur. In robustis constitutionibus ante ab aqua egressum ut plurimum incipit, e contra in debilibus aut tarde aut nunquam comparet.

Nervosa impressio et vitalis reactio efficaciam balnei frigidi medicamentosam in primis statuunt et prout haec vel illa praevalet et individui conditiones sub immersione discriminant, finalis balnei effectus varius esse potest. Modo enim excedentem nervosam excitabilitatem imminuit ac exhaurit, modo excitat et stimulat, modo qua tonicum agit, modo simplicem parit perfrigerationem. Quum haec praecipuum balnei scopum in specie aestivo tempore sistat, temperatura aquae parum demissa et immersio neque improvisa neque diu protracta esse debet; praeterea juvat a balneo frigidiusculo prius incipere et gradatim ad subfrigidum et hinc ad frigidum transire. Pro caeteris balnei scopis consequendis ut plurimum a medico consilium accipere fas est, a quo forma balnei magis conveniens, duratio aqua, hujus temperatura, repetitio melius determinabuntur. In genere quoad aquam, marina prae fluviatili ob uberiorem cuti a sale inductam irritationem praefertur; duratio neque brevis neque diu protracta; temperatura media subfrigida; tempus aestivum atque horas meridianae, repetitio diebus alternis facta; atque pro speciali roborandi scopo ante et post immersionem activum corporis exercitium, quin vi provocetur transpiratio, et durante immersione natatio commendantur.

Conditiones corporeae frigidum balneum vetantes sequentes conscribuntur. Primi dies post nativitatem, vel senium provectum; menstruationis periodus; ha-

bitus apoplecticus, phthisicus, cardiopathiae in specie cardiectasis, induramenta, obstructiones vel inflammationes acutae parenchymatosae viscerales; gastricae saburrae congestioni venosae abdominali sociatae; exanthemata acuta, atque impetigines facile repercutiendae, tandem insignis generalis debilitas. Commendatur e contra balneum frigidum in omnibus debilitatis generalis formis, in pueritiate ac juventute sive propter congenitas constitutionis peculiaritates vel praegressos morbos se se manifestantibus. Habitus strumosus exemplum praebet insigne, in quo aqua marina maxime efficax comprobatur. Relaxatio praeterea quaevis tum in cute contingens atque abundantem transpirationem post leve exercitium referens, tum in mucosis membranis suborta cum copiosa muci secretione conjuncta conspicuum a balneo frigido adjumentum obtinet. Debilitas quoque ea evolutionem tuberculorum pulmonalium praecedens, cum a sola praedispositione dependeat, et organismus sufficientem pro reactione vim possideat, in balneo frigido praesertim marino therapiam agnoscit. Sed utilitas frigidi balnei qua prophylacticum auxilium magis magisque patet. Pro cunctis catarrhalibus et rheumaticis affectionibus principalem sistit praeservativum, tum quia veluti tonicum remedium agens totam roborat oeconomiam, atque minus externis morbificis potentiis obnoxiam reddit; tum quia cuti et mucosis aërearum viarum membranis, in quibus impressiones catarrhalem gignentes affectionem occurrunt, tonum adjungit, tum quia propter oeconomiae subitis temperaturae mutationibus assuetudinem, illa minus causis noxiis ab atmosphaera de-

rivantibus subjicitur. Quod de catarrho diximus, rheumatismis, pernionibus similibusque affectionibus applicatur. In passionibus vero nervosis morbosa incitatione ac irritabilitate distinctis in genere balneum frigidum praestat. Chorea, hysterismus, aliquae hypochondriaseos formae, vocis vel gustatus omissio, paralyses morbo cerebrali haud connexae remedium non dubiae praestantiae agnoscunt, in quibus balneum contraindicatur cum tantum simul morbus organicus sive cerebri sive medullae spinalis, vel pro cerebri congestione praedispositio existat. In chronicis tandem ex mucosis membranis profluviis cum processu phlogistico haud alligatis, in epistaxi et menorrhagia passiva, in amenorrhoea sine pletora vel chlorotica debilitate, in asthmatis intervallis atque in mania remedium constituit valde utile. — Sed in omnibus hisce morbosis conditionibus balneum absque medico consilio applicare imprudens foret; quapropter balneum frigidum qua auxilium in specie hygienicum commendantes reliquas pro ejus veluti remedii applicatione notiones relinquimus. Adnotare tamen non praetermittimus varium esse balneorum frigidorum influxum, prouti in aqua stagnante capiatur, vel aqua viva currente, aut in rivo quodam vel in mari ipso hocque quieto vel undis agitato. Nullum enim dubium est undarum ipsarum motum superficiem cutaneam vellicantium beneficum fluviorum et vel maxime maris influxum super organismum. Multum admodum intendere adde quod partes medicantes quibus in balneis utimur majori vel minori quantitate salutarem influxum dynamicum non exiguum super organismum exerceant, bal-

neique beneficium plus minusve adaugeant. Id vel maxime natationis ope obtinetur, in specie si haec apertis in locis ex viva fonte efficiatur. Natatio in eo consistit ut corpus humanum vel totum vel partim in aqua mergatur et membrorum auxilio sursum et deorsum excurrat. Veteres Graeci atque Romani, qui physicam corporis constitutionem firmissimam reddere, animumque aptissimum ad graviora obeunda pericula efformare studebant, veluti essentiale educationis momentum natationem retinebant, in qua omnes cujuscumque generis ac conditionis juvenes institui adlaborabant. Sagax consilium; cum ex natatione cuncti salutares balnei et activi exercitii effectus facilius consequantur. Jam novimus ex supradictis balneum eo praestare quo citius vitalis reactio in genere manifestatur. Quapropter cum immediata exercitationis actio in eo consistat ut totum vasorum systema in suis functionibus sollicitetur et sic sanguinis cursu liberiore textus omnes adeat, singulus videt, quomodo, per innatationem, scilicet per continuum membrorum motum humores e centro superficiem versus expeditissime advocentur atque sic promptius sudor et perspiratio emanat. Praeterea ex experientia constat, quod motus non solum partibus organicis elasticitatem et firmitatem totique corpori vires addat, sed etiam mirifice agit ut animales multiplicium textuum fibrae, ad voluntatis nutum et ad vitales functiones perficiendas promptiores aptioresque efficiant partes ab ipsis compositas, atque etiam humores continuo agitentur. Consequitur quod, si temperatura aquae nimis frigida eo tendit ut humores sub protracta immersione motu retrogrado

ad centrum corporis impellantur et corum circulatio aliquo modo impediatur, propter partium conflictum ex natatione effectui non solum motus obstat ne humores ipsi ab externis ad internas partes nimium concurrant, sed etiam circulationis aequilibrium et calor sustineatur. Ex mutua hinc aquae et motus speciali actione finalis inducitur effectus, ut corporis partes majori soliditate ad agendum instruantur et congruum semper in multiplicibus antagonismi punctis aequilibrium servent. Hinc praeterea fiet ut propter partium commotionem atque agitationem praeternaturales, quae ominantur fluidorum congestiones in cellulari textu prohibeantur, et hae quae jam morbosae coalescunt, per uberiorem absorbentium vasorum actionem subleventur. Id quoque internis in organis contingit, quemadmodum secretionum atque excretionum cunctarum major post natationem activitas et viscerum deobstructiones in specie abdominales docent. Sed natatio non solum corporis vires auget et valetudini individuorum prospicit, contribuit quoque ut minus frequenter vitae infortunia occurrant. Scimus enim quam facile mors a submersione iis accidat qui natandi arte minime versati cum undarum vortice obvolvantur. E contra natationis peritus si forte periclitetur undas per medias salutem propriam aliorumque conservare valet. Quam facilius tot eviterentur usufiagia si homines, in specie qui circa flumina, lacus et mare inhabitant, natandi arte pollerent! Exsurgant sub hoc respectu publica instituta in quibus natationis ludus aperiatur atque sic hominum salus et societatis totius commoda melius obtinerentur!

Natatio in specie illis competit, qui delicatam indolem et mollem corporis constitutionem sortiti sunt: Pueritia est aetas magis propria, tum quia organicarum partium elasticitate ac flexilitate majori praedita facilius varios exequi motus potest, tum quia tali exercitatione adeo agilis progressu temporis evadit ut nunquam alias tantam possit membrorum agilitatem adipisci. Competit quoque illis qui a naturali aquae frigore abhorrent. In balneo enim simplici quum corpus immobile et iners persistat, temperaturae aequilibrii causa, continu intimus corporis calor disperditur, et proinde mentalis frigoris horror major fit et balneum haud sustinetur; sed sub natatione, membrorum omnium motu, corpus auctum calorem aeque servat et tali pacto natatus balneis frigidis utilior et jucundior habetur. Immersio prima in undas haud improvisa fiat, vehemens enim et repentina aquae impulso totius corporis compagem valde perturbaret. Incipiat hujusmodi exercitium aestivo tempore et deinde sensim aliis etiam temporibus adhibeatur. Tali pacto natator aëris vicissitudines impune perferre et praepeditae perspirationis malos affectus superare valebit. Aqua fluviorum magis idonea censetur, quia solis radiis aliquantisper tepefacta naturale frigus amittit et tolerabilior evadit. Aqua marina tamen aestivo tempore adhibetur, pro laxis et debilibus praedicatur. Natatio in balneis familiaribus arte paratis tantum pro infantibus convenire poterit. Insuper aqua sit limpida non nimium rigida, nec paludosa vel lutea, et placide excurrens praesertim seligatur, quum aliquam refrigerationem sibi comparare natator quaerat. Evitentur momenta

in, quibus digestio sua explet officia, et nascente vel cadente die potius fiat. Natationis leges semper memoriae detineantur ne infortunium ullum accidat; et post natatum cubitum ire utilissimum ex experientia ad dulcem consequendam quietem constat.

Balneum calidum. – Primus historicus casus de balnei calidi administratione therapeutica in facta a medico Melampo filiae Argi regis praescriptione invenitur; ejus prima mentio jam in Medeae caldario fingitur haberi. A verbi etymologia (mala dissipans) atque e fabulosis historiis vetulos propter Medeas clibanum juventuti pristinae restitutos referentibus cum aliquo fundamento deduci potest balneum calidum priscis temporibus maximi factum fuisse. Forsan aquae calidae ex terrae sinu scatentes et tepore sic benefico fessos laboribus atque morbo invitantes ut sibi membra committant homines induxerunt ut, ubi haec naturae subsidia salutaria deessent, balneo calido artefacto supplerent. Et ita in Asia tota ab Æquatore Polum usque valde aestimatur; et quoniam non secus ac roborans veluti reficiens et restaurans sub ipsis torridis climatibus retinetur, et usu frequenti exercetur. Haud inficitur apud Romanos molles desidesque luxum balnei calidi adeo terminos praetergressum ut unus ex tribus vitae humanae magnis destructoribus nominaretur, sed id abusum non vero efficaciam salutarem comprobat. Immediata in oeconomiam balnei calidi actio et sensationes inde productae ab illis frigidi opposita fere ratione discriminant. Sub frigido natura hostilem quasi exsuperare debet potentiam priusquam haec recreationis ministra evadat; acceptae enim sensa-

tiones ab organismi potius reagentis operationibus quam ab externis impressionibus derivant. Sub calido e contra directo modo jucundae communicantur sensationes, calor scilicet vitae adeo amicus quem tota corporis superficies recipit.

Praecipui balnei calidi in vitam effectus sequentes conscribuntur.

1. Directe in nervosum agit systema, tum sensationes modificans tum alias cum sensationibus haud connexos sed caloris gradui correspondentes effectus inducens. Quum temperatura intra justos limites ex. gr. ad 24, 26 gr. R. circumscribatur, totum nervosum systema recreatur, sensationes vivaces magis et acceptae habentur et dulcis languor omnium comprehendit. Leves locales irritationes sive dolorificae sive spasmodicae dissipantur, atque ipsa interdum nimia systematis habitualis irritabilitas, sub immersione saltem, locum cedit. Quum vero temperatura aliquid extollatur, corporeae et mentales sensationes jucundiores fiunt, quae tamen sub magis evecto calore evanescunt, imo ingratae redduntur, atque tota oeconomia viribus exhauritur.

2. Agit qua medium calorem communicans atque temperaturae in diversis corporis partibus aequilibrium ponens. Sed caloris elevationis extensio a miranda facultate organica animalem calorificationem sine ulla ab externis influxibus dependentia gubernante restrictos intra limites circumscribitur. Quousque vita viget, generalis corporis temperatura a nullo medio, quod frigus vel calorem excitet, superatur; et tantum externae superficiales partes, non exclusa ipsa sanguinis massa, aliquas leves modificationes supra vel

subter ordinarium caloris gradum afferre ac consequi valent. Quum vis talis conservatrix organismum a legibus calorici distributioni in materia vita destituta praeeuntibus immunem haud reddat, vita vel jam demortua vel cedere incipit. Tunc fortis et diu protractus frigoris gradus sensibiliter animalem deprimit temperaturam, quam e contra evectus continuatus calor augescit.

3. In functiones exhalationis atque absorptionis cutaneae agit. Innotescit enim ex physiologia cutim esse organon exhalans et absorbens, et hinc omni probabilitate deducere possumus quod balnei aqua possit absorberi. Et ab experimentis a D. Edwards factis constat, cutis absorptionem in balneo sub frigido transudationem excedere, e contra transudationem in calido supra absorptionem praeminere et in mediocriter calido tales functiones pari passu incedere. Quapropter prout temperatura cutanea vel absorptio vel exhalatio ex arbitrio promoveri datur.

4. Cutis texturam modificat, tum propter textus imbibitionem, tum ob specialem aquae in fibram organicam actionem. Ex hoc finalis gignitur effectus, quod partes emolliantur, expandantur, relaxentur. Et reapse post immersionem continuatam, non duntaxat artuum musculi sed viscera quoque abdominalia propria energia destituta videntur. Temperatura absque dubio ad relaxationem aliquid influit, sed non ex toto, et ejus productioni specifica quoque aquae virtus contribuit. Ipsa enim aqua frigida diu applicata emollitionem parit, et praeterea calor siccus vel mediante aëre propagatus similes haud gignit effectus.

5. Celeritatem atque excedentem cordis et arte-

riarum vim modificat. Pulsus rem satis comprobat. In genere cum calor balnei sit modicus et individua sensilitas ac irritabilitas intra normam retineantur mutatio in pulsus frequentia parum advertitur. Sed sub magis evecta temperatura ex. gr. 26, 28 gr. R. licet prima immersione pulsus et respiratio citata exhibeantur, paullo post aequilibrato calore atque nervoso systemate stimulo novo assueto naturalem recipiunt actionem. Pulsus equidem plenior sed non frequentior tunc tangitur. Cum vero temperatura limites medios transcurrat, respiratio anxia et pulsus valde frequens efficitur, qui talis diu post balneum remanere potest, et interdum non nisi post noctem quietis componitur.

6. Sanguinis distributionem et in specie relativam internas inter et externas partes proportionem attemperat. Si internis in organis massa sanguinis exuberans vigeat, eam superficiem versus balneum ad vocat, tum capillarium superficialium vasorum actionem intendens, tum textus externos relaxans atque pro uberiori fluidorum receptione capaces reddens, tum directo modo localem irritationem interni sanguinis massa aequilibrium statuens solummodo evolvitur, quum a temperatura modica cordis et arteriarum vis intra naturalem ordinem contineatur.

7. Volumen textuum superficialium et universae humorum massae juxta temperaturae gradum adauget; quod ab anulis digitorum praesertim demonstratur. Huicce phaenomeno pro certo, quaemadmodum nonnulli physiologi autumant, fluidorum expansio a balneo valde calido exoriens influit sed causa prima cordis potius et arteriarum vi auctae debetur,

per quam sanguis totum vasculare systema cum impetu adit atque intime dilatet.

Ab expositis balnei calidi effectibus, ejus actio multiplex conspicitur. Modo enim ad normalem actionem nervosum systema sollicitat; modo qua stimulus blandus cutaneus agit; sanguinis aequabili distributioni favet; et universalem fluidorum absorptionem ac textuum reactionem producit. Actio finalis in emollitione et totius organismi excitatione, cujus functiones liberiores atque promptiores exercentur, consistit. Quapropter plures balneum calidum indicationes adimplere valet. Pro doloris et irritationis mitigatione qua sedans commendatur; ad irregulares reordinandas functiones et liberiores reddendas veluti tonicum indirectum habetur; propter emollitionem in ipsum nervosum systema contingentem et generalem relaxantem actionem tanquam antispasmodicum operat; quia capillarem superficialem circulum modificat sicuti derivativum retinetur; a sua in cutim actione diaphoreticum judicatur; et tandem a diversis ejus operandi simul conjunctis rationibus auxilium insigne alterans efficitur.

Quamplures habentur balnei calidi usus. Corporis munditiem melius quam frigidum et magis citius venustatem ac proprietatem acquirit. Post quodvis laboriosum activum exercitium valde pro lassitudine auferenda prodest, et Orientales efficaciam in specie agnoscunt. Post longa itinera praesertim ab individuis delicatulis ac irritabilibus facta balneum calidum fere specificum pro functionum labefactarum restitutione pristina adest. Homerus patriae restitutum Ulixem ex se balneo recreantem depingit. In

inactivitate sive physica sive mentali efficacissimum praebet auxilium. Tandem non parum pro levibus oeconomiae perturbationibus ex quacumque causa subortis, sive sint chronicae indolis aut acutos praesagiant morbos, sublevandis praestat.

De caeteris strictiori sensu therapenticis usibus qui revera multiplices et valde extensi sunt, non dumtaxat pro adultis hominibus sed vel maxime pro infantibus, in quibus persaepe balneum fere unicam therapiam efformat, quia medicus balneum ipsum dirigere debet, omitto consulto verba facere.

Concludimus balnea sive frigida sive calida auxilium hygienicum evadere praestantissimum. Utinam ejus applicatio frequentius fieret, ac non soluma medicis verum etiam ab ipsis auctoritatibus populo commendaretur.

274

THESES

I.

Nimia cerebri distensio sub calidissimo balneo probabiliter, quod noxii balnei ipsius effectus praesertim capite evolvantur, causam sistit.

II.

Frigus qua sedativum adstringendo primitus agit.

III.

Fames efficax remedium salutis recuperandae et morborum causa.

IV.

Remediorum copulatio efficaciam medicamentosam modificat.

V.

Lobelia inflata in catarrho suffocativo tentanda.

VI.

Partium atrophia ex oppositis causis gigni potest.

VII.

Bronchoceles ab udo humidoque humo praeprimis derivanda.

VIII.

Datur vesicalis calculus a fibrina constitutus (Wolaston — Marcet).

IX.

Ætas ab infantia ad decem usque vitae annos se se extendens morbis verminosis magis vexatur.

X.

Verae catalepsis simulatio difficillima.

XI.

Esus parcus reiteratus commendatur reconvalescentibus.

XII.

Damnandum Salernitanae scholae praeceptum.

Si nocturna tibi noceat potatio, vina
Matutina hora rebibas et erit medicina.